



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDXXXIV.

VD18 90392167

Q. 5. Quænam est forma Baptismi?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41032

Porro certum est non licere infantem sic projicere, etiamsi aliter Baptizari nequeat, & timeatur statim moriturus, quia hoc esset directè occidere innocentem, nam hæc immersio per se ac directè est occisiva infantis: ad ablutionem autem per accidens ex sola intentione mergentis dirigitur.

Not. Idem qui profert formam, debet abluere: alioqui forma esset falsa, ideóque baptismus nullus.

Q. 5. Quenam est forma Baptismi?

Resp. I. Hæc est, *Ego te baptizo, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Ita Conc. Florent. & Rituale Rom. addens hæc verba uno & eodem tempore quo fit ablutio, esse pronuntianda.

Resp. II. Ad valorem Baptismi exprimi debent ablutio actualis, seu ablutio ut actu exercita, & persona Baptizandi, ita ut hæc voces *Baptizo te*, vel æquivalentes sint de essentia formæ. Constat 1. ex perpetuâ traditione, & praxi Ecclesiæ ita interpretantis verba Christi, *Baptizantes eos.* 2. Ex c. 1. *de Baptismo*, & ex Florent. Hinc Alexander VIII. damnavit hanc propos. *Valuit aliquando Baptismus sub hac forma collatus, In nomine Patris, &c. prætermisiss illis, Ego te Baptizo.*

Resp. III. Necessariæ quoque sunt hæc voces, *In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti.* Constat 1. ex Matth. ult. *Baptizantes eos, in nomine*
Patris

Patris & Filii & Spiritus Sancti. Quæ verba ex sensu Ecclesiæ continent formam Baptismi. 2. Ex Patribus apud Bellarm. & alios. 3. Ex c. si revera de consec. dist. 4. Ubi Pelagius Papa jubet Hæreticos solum modò in nomine Christi baptizatos, iterum baptizari in nomine Trinitatis. &c. in Synodo, ead. ubi Zacharias Papa asserit eum, qui sine invocatione Trinitatis Baptizatus est, Sacramentum regenerationis non habere. Per Trinitatem intelliguntur tres personæ distinctè invocatæ, secundùm usum Ecclesiæ & præceptum Christi, ut etiam ibidem explicatur. 4. Ex Conc. Flor. & Later. 4. c. firmiter. 5. Quia cum Baptismus sit *Fidei Sacramentum*, c. 4. de Bapt. debet in eo conferendo fieri expressa mentio Trinitatis, quæ est primarium objectum fidei & fundamentum salutis.

Hinc non valet Baptismus 1. Si dicatur *in nomine Trinitatis, in nomine Dei unius & trini, vel in nomine Trium-Personarum Trinitatis.* Quia requiritur distincta expressio singularum personarum, & quidem secundùm eas rationes quibus constituuntur, & inter se distinguuntur, nempe secundùm proprietates personales seu relationes Paternitatis, Filiationis, & Spirationis passivæ. 2. Si dicatur *in nominibus*, quia non exprimitur essentialis unitas, cujus expressio est essentialis formæ, ut semper intellexit Ecclesia. Et verò tam necessaria est ad salutem professio unitatis Dei, quàm

quàm Trinitatis personarum, quæ necessariò exprimendæ sunt. Dubiæ autem sunt hæ formæ, *in virtute*, vel *auctoritate*, vel *sub invocatione Patris*, &c. Item *in nomine Patris in nomine Filii*, & *in nomine Spiritus Sancti*. & *in nomine Genitoris*, & *Geniti* & *Procedentis ab utroque*. Imò S. Thom. 3. p. q. 66. a. 5. ad 7. docet in aliis nominibus quàm Patris & Filii, & Spiritus Sancti, non perfici Sacramentum.

Resp. IV. Non est de essentia formæ, ut exprimat *Minister* saltem expressè: nam Conc. Flor. approbat hanc Græcorum formam, *Baptizatur talis servus Christi, in nomine Patris, &c. vel Baptizatur manibus meis talis, in nomine Patris, &c.*

Q. 6. An Baptismus iterari potest?

Resp. I. Est de fide Baptisimum validè susceptum nunquam posse iterari. 1. ex Ephes. 4. *Unus Dominus, una Fides, unum Baptisma.* 2. Ex traditione & praxi Ecclesiæ. 3. Ex Symbolo, *Confiteor unum baptisma.* 4. Ex Florent. ex Trid. sess. 7. can. 11. Unde Baptismi iteratio est grave sacrilegium, tam ex parte dantis, quàm recipientis scienter, ex c. 108 & 118. de consec. dist. 4. quia fit contra institutionem Christi, applicando Sacramentum subjecto incapaci; & per hoc significatur Christum esse denuo morti ac sepulturæ obnoxium, ex Heb. 6. cum per Baptisimum commoriamur & consepeliatur, Christo, Rom. 6.

Resp.